MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS II: 14.2. 1.5.)

Melk, um 1470 Seite 171r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

provoluens pedibus sacerdotis. testabatur
meritis et oracionibus eius se esse ser-
uatum. Reuertens itaque de urbe aqui-
legensi. uno die precessit imperatorem. Nec
diu clementissime memorie theodosius
imperator susceptis filiis in ecclesia. et tradi-
tis sacerdoti in hac luce fuit. Post obitum
eius fere triennium superuixit. Quo in
tempore sancti nazarii martiris corpus. quod
erat in orto positum extra ciuitatem. leua-
tum ad basilicam apostolorum que est in urbe ro-
mana transtulit. Vidimus enim in sepul-
chro in quo iacebat corpus martiris. qui
quando sit passus usque in hodiernum diem
scire non possumus. sanguinem martiris
ita recentem: quasi eadem die fuisset
effusus. Caput etiam ipsius quod ab im-
piis fuerat abscisum. ita integrum atque
incorruptum cum capillis capitis atque
barba. ut nobis uideretur eodem tempore
quo leuabatur lotum atque compositum in se-
pulchro. Et quid mirum: quandoquidem dominus
hoc in euangelio ante promisit: quod ca-
pillus de capite eorum non periret? Etiam
odore tanto repleti sumus: ut omnium
aromatum uinceret suauitatem. Quo le-
uato corpore martiris. et in lectica composito.
statim ad sanctum celsum martirem qui in eodem
orto positus est. cum sancto sacerdote
ad oracionem perreximus. Nunquam tamen
illum antea orasse in eodem loco comper-
tum habemus. Sed hoc erat signum reue-
lacionis martiris. si sanctus sacerdos ad locum
ad quem nunquam antea fuerat oratum isset.
Cognouimus tamen a custodibus loci ipsius:
quod a parentibus illis traditum sit. non dis-
cedere de illo loco per omnem generationem
et progeniem suam. eo quod thesauri mag-
ni in eodem loco positi essent. Et uere
magni thesauri: quos non erugo neque
tinea exterminant: neque fures effodi-
unt et furantur. quia custos eorum christus est.
et locus eorum aula celestis est. quibus uiuere
christo fuit et mori lucrum. Translato
itaque corpore martiris ad basilicam apostolorum.
ubi pridie sanctorum apostolorum reliquie summa
omnium deuotione deposite fuerant. cum
tractaret episcopus. quidam de populo repletus
spiritu immundo cepit clamare se torqueri
ab ambrosio. At ille conuersus ad eum
ait. Obmutesce diabole. quia non te tor-
quet ambrosius. sed fides sanctorum et inui-
dia tua: quoniam illuc uides homines ascen-
dere. unde tu deiectus es. Nam ambro-
sius nescit inflari. Quo dicto ille qui
clamabat obmutuit. prostratus quoque est in
terram: nec amplius uocem qua obstrepe-
ret emisit.

Per idem tempus cum consulatus sui im-
perator honorius in urbe medi-
olanensi labicarum ferarum exhiberet
munus. populo illuc concurrente data est
copia. missis militibus tunc a sti-
licone comite hortatu eusebii prefecti:
ut cristonius quidam de ecclesia raperetur.
Quem confugientem ad altare domini. sanctus
episcopus cum clericis qui in tempore aderant
defendendum circumdedit. Sed multitudo
militum que duces duos habebat: de perfidi-
a arrianorum preualuit aduersus paucos.
atque ablato cristonio. exultantes ad
amphitheatrum reuersi sunt. ecclesie luctum
non modicum relinquentes. Nam sacer-
dos prostratus ante altare domini. factum
diu fleuit. Sed in tempore cum reuertis-
sent et renunciassent his a quibus fue-
rant destinati milites. dimissi leopardi
saltu celeri ad eundem locum in quo se-
derant hii qui de ecclesia triumphauerant:
ascendentes grauiter laniatos reliquerunt.